

**R**

Omnia apud S. Petrum die Mercurij XVI. Februarij M. DC. XXII. fuit Consistorium semipublicum, in quo SS. D. N. Gregorius XV. interfuit cum RR. DD. S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, qui post subsellia praedictorum RR. DD. Cardinalium sedebant; fuerunt insuper Protonotarij de numero, & Rotae Auditores, adfuit quoque Fiscus Procurator, & R. D. Ciampolus Sanctitatis suae Secretarius vna cum cubiculi Magistro, & Pincerna, caeteris dimissis; & idem Sanctissimus mitra aurea, & pluuiali rubro ornatus sedit in simplici consueta sede Consistoriali a Cardinalibus Diaconis, & Protonotarijs Cruce praefereute deductus, & graui ac pia oratione egit de canonizationibus Sanctorum, & insimul Ecclesiae auctoritatem demonstrauit, & Beatorum, videlicet Isidori Agricolae, Ignatii Loyolae Fundatoris Societatis Iesu, ac Francisci Xauerij eiusdem Societatis, de quibus nunc erat agendum, vitas, mores ac miracula enarrauit, iussitque vt sententiae dicerentur. Vnde RR. DD. Cardinales ordine primo de canonizandis praedictis Beatis protulerunt vota, quibus dicentibus Patriarchae, Archiepiscopi, & Episcopi, omnesque reliqui detecto capite stabant. Deinde ijdem Patriarchae, Archiepiscopi, & Episcopi dixerunt, approbantque: postremo idem affirmarunt sacri Palatii Auditores, quibus peractis Procurator Fiscus petijt, vt Sanctitas sua mandaret Protonotarijs, acta haec omnia vt adnotarent, seruaentque de more. Interim autem eadem Sanctitas sua postquam censuit huiusmodi Beatos in Sanctorum numerum esse referendos die 12. Martij proximè futuri, hortata est omnes, vt ieiunijs, elemosynis, & orationibus pro diuina sancti Spiritus gratia supplicarent.



**F**IDEM Facimus & attestamus, quali-  
ter sanctissimus Dominus noster Gre-  
gorius diuina prudentia Papa XV.  
die Martij 16. Februarij 1622. in  
Consistorio semipublico habito in Pa-  
latio Apostolico Sancti Petri, in Au-  
la Apostolorum ante Sacellum Sanctitatis suæ, ha-  
bito prius sermone ad Illustrissimos & Reuerendissi-  
mos DD. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos &  
Episcopos super instituta Canonizatione Beatorum Iffi-  
dori Agricole de Matrino, & Ignatij Loyolæ Funda-  
toris Societatis Iesu, & Francisci Xauerij è dicta So-  
cietate, & requisitis super ea suffragijs dictorum Illu-  
strissimorum & Reuerendissimorum DD. Cardinalium,  
Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum,  
illisque ad fauorem Canonizationis receptis, com-  
muni omnium consensu decreuit dictos B. Isidorum,  
Ignatium, & Franciscum Xauerium, Deo adiuuante,  
in numerum Sanctorum, die 12. mensis Martij, qui Di-  
uo Gregorio sacer est. In quorum fidem præsentè sub-  
scripsimus, & sigillo nostro muniuimus. Datum hac die  
18. Februarij 1622. Stephanus Saulius Protonotarius  
Apostolicus requisitus & rogatus.

*Concuera con el testimonio original del decreto aqui contenido.*